



VFfo filius fuit Vueremundi regis Daniae. Is autem in adolescentia sua nunquam lusus aut ioci consuetudinem praebuit, & labiorum continentiam iugi silentio pressit, ac ab omni risu absti-
nuit, ita ut mentis inops crederetur. Verum postea conditionis contemptum claritate mutauit, & quantum inertiae spectaculum fuit, tantum prudentiae & fortitudinis exemplum euasit. Hinc factum cum Vueremundus pater senio caecus esset, atque Vffo rebus gubernandis inutilis uideretur, ut Saxoniae rex per legatos Daniae regnum ambiret, & nolentem regem ad certamen prouocaret. Cum ea petitione omnes terrentur, Vffo in medium

processit, et declarauit nec regi filium, nec regno successorem deesse. Itaque indicauit se non solum regis eorum filium, sed etiam fortissimum eius gentis athletam simul pugna aggredi constituisse. Nec mora, condicitur pugnae locus, & eidem statata temporis meta praefigitur. Ea mutatione Vffonis facta omnibus stuporem attulit, & eius patrem mirifice exhilarauit.